DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

ANGINA INFLAMMATORIA CUM FEBRE ACUTA,

Quam

VOLENTE DEO

JUSSU ET AUTHORITATE

GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS,

IN ILLUSTRI ACADEMIA BASILEENSI,

Pro

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ATQUE PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RITE IMPETRANDIS,

Publico Eruditorum Examini ſubmittit

MATTHIAS LANDOLT,

TIGURINUS.

Ad d. 29. Septembris M DCC XLVII.

H. L. Q. S.



BASILEÆ,

Typis JOH. JACOBI THURNISII, EMAN. Fil.

VIRO

EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

atque

DOCTISSIMO,

DOMINO

JOH. CASP. LANDOLTO;

Medicinæ Doctori, atque Illuſtr. Reip. Tigurinæ

ARCHIATRO

MERITISSIMO,

FRATRI SUO CHARISSIMO,

Quod amore plus quàm Fraterno, conſiliis, manuductionequ
in Studiis ſuis formandis, Parentis loco ſe juvare atque
amplecti ſemper voluerit,

*Hasce Studiorum ſuorum primitias tanquam gratiſſimi animi
erga tot in ſe merita, teſſeram, ſacras eſſe cupit*

AUTHOR.



§. I.



Ræſens de Angina Inflammatoria Thema inaugurale non ideo ſelegi, quoniam non & alii ante me pro ſimili ſcopo id pertractandum ſibi ſumpſerint, ſed tam quia tenues meæ vires, novam materiam cum publico communicare haud mihi conceſſerint, quam quoque ob aliqua notata non facile apud alios obvia, quæ huic materiæ adſpergere licebat.

§. II.

Anginæ vox à Græco adverbio ἄγχι, quod propinquitatem & ſpatii imminutionem denotat, procul dubio originem traxit, idque docent voces ἀγχίαλος, ἀγχέμαχος, ἀγχιστῆναι, quæ vox de ovibus accipitur, præ metu in denſum agmen conglomeratis; hinc ἀγχώνη, laqueus, anquina funis quo antenna malo alligatur. Ex his ſtrictiori ſenſu ad gut-

turis compreſſionem & anguſtationem ſignificandam tranſiit, unde ἄγχω, ſtrangulo, ſuffoco. Hinc apud Plautum in Moſtellar. Act. I. Scena III. In Anginam ego nunc me velim vorti, ut veneficæ illi fauces prehendam & enicem ſceleſtam ſtimulatricem. Fuit & Angeronia Dea apud Romanos, cui ſacra ſolennia ideò dicuntur inſtituta, quoniam Anginâ aliquando ſævâ graſſante, ei ſupplicantes ab hoc morbo liberati credebantur, huic in ſacello Deæ Volupiæ appellatæ, ſeu Voluptatis aliàs ſacra fiebant, quòdque digito, labris appreſſo, repræſentabatur, ſilentii Dea habebatur, ſed cum Harpocratis numine, uti mihi contra vulgarem opinionem videtur, haud confundenda; cum aliud ſit arcana religionis & ſcientiarum ſilentio tegere, aliud clandeſtinas voluptates aſtutè occultare atque reticere. Cauſa verò cur Anginâ detenti ad ejus numen confugerint, fortè fuit, quia & ipſi ob anguſtatas fauces ad ſilentium redigebantur.

§. III.

Angina in genere ſumpta morbus eſt, qui & deglutitionem & aëris in aſperam arteriam tranſitum plus vel minus impedit cum dolore & ſuffocationis metu; prouti vel magis Gulæ initio ſeu Pharyngi, ejusque vicinis partibus, vel Laryngi inhæreſcit. Hæc verò impedimenta deglutitionis & reſpirationis, jam ante Galeni tempora in quatuor ſpecies diſtinxerunt, ut alia eſſet κυνάγχη voce deſumpta à canum anhelitu linguam hiante rictu exerentium, in qua muſculi Laryngis proprii inflammarentur; alia παρακυνάγχη, quæ mitior eſſet muſculis Laryngi συναπτομένοις (hodie communibus) laborantibus; alia συνάγχη cum Pharyngis muſculi, alia

παρα-

παρασυνάγχη, cum *externi Pharyngi musculi*, (sed quid sunt?) afficerentur. Sed recte Galenus animadvertit, hisce quatuor indicatis inflammationis sedibus, rem ipsam haud absolvi, siquidem plures gradus intermedii inter has dentur, & Laryngis vitia vel Pharyngis, mutuò sibi compatiantur.

§. IV.

Aggredior jam historiam Anginæ Inflammatoriæ cum Febre Acuta junctæ exponere, quum alias Anginæ species, Spuriam scilicet convulsivam &c. pertractare, harum pagellarum angustia haud permittat.

Ingruit uti reliquæ Inflammatoriæ Febres cum rigore & horrore per semihoram utplurimum, vel diutius durante: hunc excipit calor febrilis cum consuetis symptomatibus, sitis, doloris capitis &c. collum difficiliùs moveri & circumagi incipit, & vel cum ipso Febris initio coincidunt molestiæ in faucibus, aut post complures aliquando horas, demum illæ vexare ægrum incipiunt, uti quotidianæ observationes hoc testantur, hinc adeò notandum, antequam ad reliquam morbi descriptionem pergam, malè vulgo Febrem, quæ in inflammationibus partium internarum sine violentia externa ortis, adest, secundariam vel symptomaticam appellari, quasi positâ priùs inflammatione, & ejus symptomatibus, ardore scilicet, dolore, pulsatione, demum ipsa Febris ex his originem trahat. Veritatem hujus asserti, quod ex dolore inflammatorio non demum Febris nascatur, primus vidit Felix Platerus Prax. Med. Tom. II. p. 39. *Neque enim*, inquit, *uti hactenus persuasum, ejusmodi inflammationes Febres istas præcedere, nec procreare, uti multis ostendere possemus, sic hoc satis declarat, quod*

hæ Febres, antequam punctorius dolor aut inflammationis indicia se demonstrent, cum horrore & subsequente calore invadant, & quandoque horis aliquot illa præveniant, nec proin ab illis inflammationibus aliter quàm quod à Febribus priùs excitatæ, novo calore in viscere cordi vicino (si est e. gr. Peripneumonia) *augeantur, accendantur. Quod tamen Febrim non tum primùm incepisse satis demonstrat, multoque minus putridam eam esse (sicuti quoque existimarunt) cum & ab inflammatione calor ille suscitatus, copia sua potiùs, quam putredine Febrem augeat.* Mirandum vero est hujus præcepti ex experientia nati immemores recentiores Practicos, adeo illi distinctioni causarum Febrium à Galeno traditæ inhæsisse. Sic enim e. gr. locus Galeni in commentariis Celeb. Van Swieten ad Boerhaavii Aphorism. 770. laudatur: „ Optime notavit Galenus, cum „ dicit: Aliarum Febrium quædam ex inflammatione, quæ- „ dam ex humoribus accenduntur. Et quæ ex inflamma- „ tione velut inflammatarum partium quædam symptomata „ sunt &c. " Similiter Frid. Hoffmannus in Medicina Ration. Syst. Tom. IV. p. 323. „ Ubi sanguis vel alius hu- „ mor præter naturæ consuetudinem alicubi congestus, „ nervosasque membranas tendit impensius cum dolore ac „ premit, inflammatoriæ acutæ suboriuntur. " Febris vero causam in corpore prius tanquam antecedentem internam latentem, præexistere debere antequam causis occasionalibus excitata, in Anginam exquisitam cum Febre acuta erumpere possit, docent ea quæ inflammationem in faucibus equidem efficere valent, sed sine comite exquisita Febre acuta, uti sunt spinæ piscium faucibus infixæ, vapor calcis è muris recenter incrustatis, aliaque quæ postea in enumeratione antecedentium causarum recensebuntur. Præ-

terea

terea obſervandum eſt Febres acutas ſupra dictas, ad Synochas ſine ulla limitatione vulgo referri, cum tamen Synochas ſine horrore notabili incipere, uno ore omnes poſt veterum deſcriptionem, affirment, notumque ſit, quod cum rigore & horrore notabili initia capiant, Angina, Pleuritis &c. exquiſitæ deinde Synochæ non habent remiſſionum tempora, ſed ſæpe Angina comitem habet Febrem, quæ ſingulis vel alternis diebus exacerbatur, ſuasque habet remiſſiones; quod probatur Tritæo anginoſo Ettmülleri, ut & Amphimerina anginoſa Epidemica ac peſtilente Foreſti. Obſ. lib. VI. quæ eſt la Coqueluche Riverii.

§. V.

Procedente morbo, vel tumor & rubor ad radicem linguæ, uvulam, tonſillas & vicinas partes, vel exterius ſub mento, anterius vel ad latera colli, ad pectus usque aliquando apparet, vel nulla tumoris manifeſta indicia adſunt; Deglutitio variis gradibus impedita, dolorifica, impoſſibilis, ita ut potus per nares regurgitet, difficiliusque ſolida quam liquida per fauces transſcendant. Vultus rubet, tumet, oculi turgent, lingua rubra, livida, nigreſcens, inflexa, retorta, aliquando extra dentes & labia prominet, reſpiratio exigua, cum ſitu erecto, & ſummo ſuffocationis metu, vel aliquando ſatis libera, deſiderium aëris frigidi, vox ſuppreſſa, arteriarum temporalium pulſatio, venarum colli tumor, quandoque Cephalalgia, ſenſuum torpor, ſopor, inquietudo ſumma, extremorum refrigeratio, decubitus in dorſum, craſſum quid ægre expuunt, vel ex aridis faucibus paucum vel nihil extundere poſſunt ægri. Duratio morbi varia, obſervatum enim eſt intra paucas horas ægrum periiſſe, vel intra unum diem, tres, ſeptem &c.

celeris-

celerisque hæc cataſtrophe morbi maxime cum nullus tumor vel extus vel intus apparet, fieri ſolet, in ipſa nempe Κυναγχῇ, quanquam Hippocrates libr. III. de Morbis, hanc ſpeciem ad nonum usque diem tolerari poſſe aſſerat. Aliæ ſpecies ad decimum quartum & vigeſimum usque diem protrahuntur. Liberumque eſt eas quæ Laryngem magis occupant Cynanches vel Paracynanches, quæ vero reliquas faucium partes & deglutitionem magis impediunt Synanches vel Paraſynanches vocibus inſignire (ubi notum eſt voculam παρὰ mitiorem ſemper gradum denotare) modò obſervetur, non ſemper his vocibus easdem ſedes affectas, à variis Medicis deſignari. Hæc morbi ſymptomata ex variis authoribus collata, in quadam conſtitutione Epidemica Vratislavienſi anni 1699. tam clare obſervabantur, ut operæ pretium me facturum videar, ſi ea ex Ephemer. Nat. curioſ. Dec. III. a. IX. & X. append. p. 9. proponam: *Menſe Julio aliquot Anginæ exempla allata fuere, i. e. Laryngis ſeu Pharyngis inflammationis, in juvenibus potiſſimum ſanguineæ conſtitutionis, poſt motus corporis impetuoſiores, aut nimias potuum ſpirituoſorum ingurgitationes, horrorem ingens æſtus cum ſiti Tantalea excipiebat, pulſus erat frequens, durus, inæqualis, urina ſaturatiſſime rubra, magna aderat reſpirationis difficultas, apertoque ore anxium ægri ſpiritum ducebant: & creſcente malo ſtrangulationis periculum inſtabat, deglutitio tantopere impedita, ut potus faucium anguſtias vix ſuperaret, quin ſæpe in nares refunderetur, in faucium iſthmo interdum apparebat tumor, interdum autem in externo collo, ubi morbus mitior eſt, vel oculis cernebatur, vel manibus palpabatur, in iis vero quorum vita in majori periculo, nullus plane tumor deprehendebatur. Non tantum iſthmus ita exurebatur, ſed ſpectabatur ſimul in ore rubor flammeus,*

meus, urgebat dolor acutus pulſatorius & punctorius, lingua tumida obſcure rubra, canum inſtar exerebatur, fauces arebant; ſi ægrotantium os aperias, omnia tenſa videbantur, venæ infarctæ, oculi prominentes & ſanguine ſuffuſi; præterea aderat jacendi difficultas, ac frequens ſedendi cupiditas. Ingens præ foribus periculum, cum articuli gelido torpore rigebant, vultus liveſcebat, vox intercipiebatur, & ſtridor quaſi in gutture & pectore audiebatur, inexorabilis mors inſtat, deficiente pulſu, & voce quaſi in caninam mutata, apparente etiam ſubinde ſpuma oris.

§. VI.

Utiliter porro Angina diſtinguitur in Protopathicam & Deuteropathicam ſeu vulgo Symptomaticam, quarum prior primarium morbum denotat, qui non alii definito morbo, demum ſuperaccedit, cum poſterior, ejusmodi alii morbo ſuperveniat, quanquam hîc probe animadvertendum ſit, non omnia vitia faucium, quæ per decurſum morborum acutorum incidere conſueverunt, quæque ſub nomine ſymptomatum Anginoideorum veniunt, veras eſſe ſymptomaticas Anginas, cum plerumque in aliqua cruſta Aphthoſa, aut alia ex pituitæ oris & faucium, & corruptæ quoque ſalivæ, ventriculique & aſperæ arteriæ fervidis & addenſatis halitibus fere oriri ſoleant, ſub iſta vero cruſta circuitus ſanguinis ſuffocatur quaſi & ſuperficiariæ oriuntur inflammationes, quæ deglutitioni majora vel minora impedimenta afferunt.

§. VII.

Antequam vero de cauſis Anginæ dicam, de quibusdam ejus ſpeciebus ab nonnullis authoribus propoſitis, quæ aut incertæ ſunt quoad deſcriptionem, aut dubiæ in quam-

nam classem verarum vel spuriarum collocandæ sint, dicendum erit. Primò enim Boerhaavius in Aphorismis suis de cogn. & cur. morbis §. 801. ipsius asperæ arteriæ inflammationem proponit, quæ nullo externo tumore sui indicia præbeat, sed præter acutam Febrem, vocem exhibeat, acutam, clangosam, respirationem parvam, frequentem, erectam cum summo molimine, angustias summas, & citam mortem inferentem, distinctamque vult ab ipsius Laryngis inflammatione, quoniam in hac sit vox stridula & acutissima & dolor ex elevatione Laryngis inter deglutiendum, cum in inflammatione asperæ arteriæ vox sit clangosa &c. conaturque, uti ex Commentario Boerhaaviano à Cl. van Swieten edito patet, id ex locis quibusdam Hippocraticis probare, cum illi loci tamen aut de asperæ arteriæ fluxu salso eam exulcerante, aut de ipsa Cynanche intelligi possint. Deinde Galeni explicationem ubique adeo laudat, quasi inflammationis asperæ arteriæ prava symptomata, ita se haberent, uti Boerhaavius ea existere contendit, dum hic funestissimam hanc esse Anginæ speciem dicit, quatenus discrimen sit, ne *aucto tumore inflammatorio subito suffocetur æger.* At vero clarissimus extat locus Galeni in commentar. ad Aphorismum 36. Sect. IV. qui à metu strangulationis absolvit: ἡ γε μὴν τῆς τραχείας ἀρτηρίας φλεγμονὴ, δύσπνοιαν μέν τινα δύναται ποιῆσαι πνίξ δ' οὐ δύναται. διάτε τὸ μέγεθος τῆς κατ' αὐτὴν ἐυρυχωρίας, καὶ τὴν λεπτότητα τοῦ χιτῶνος. ἀδύνατον γὰρ οὕτω λεπτοῦ σώματος φλεγμονὴν ἐυρυχωρίαν ἀξιόλογον, πληρῶσαι. &c. i. e. Inflammatio asperæ arteriæ aliquam quidem respirandi difficultatem afferre potest, suffocationem vero haud potest, tam ob spatiosam ejus cavitatem, quam ob tunicarum tenuitatem; impossibile enim est tam gracile corpus inflammatione affectum: notabilem cavitatem implere posse.

Secundò,

Secundò, præter Anginæ ſpecies memoratas, mentio fit alicujus, quæ εἴσω ὦσις τῦ σπονδύλυ vocatur, quem affectum vertebrarum colli luxationem ad interiora factam, interpretantur, cum vel ſine inflammatione junctam. Hanc à cauſis internis generari variis in locis prædicat Hippocrates. Sic Aphoriſm. 26. Sect. tert. inquit: Pueris, cum ætate proceſſerunt, tonſillæ, nec non vertebræ quæ eſt ad occiput, intrò pulſiones &c. & Aphoriſm. 36. Sect. IV. Si cui valde febricitanti collum repente pervertitur, ut vix deglutire poſſit, neque ullus appareat tumor, funeſtum. Epidemic. porrò libr. II. Erant autem eorum, qui ex Angina laborabant, hujusmodi: „ Vertebræ cervicis modò „ plurimum, modò prope erant ut introvergerent, cer- „ vixque interna verſùs, cavitatem præ ſe ferebat, ibique „ ad attactum dolebat .... partes quæ ſub malis tumebant, „ non erant inflammatis ſimiles .... linguam non facilè „ movebant, quæ major & eminentior eſſe apparebat .... „ nec devorare aliquid poterant niſi moleſte .... quibus- „ dam tempora incaleſcebant, etſi non febricitarent; qui- „ bus neutram in partem declinabat illa protuberantia, „ (ἐξόγκωσις) iis nihil paralytici accidebat, omnesque quos „ videre licuit, fuerunt ſuperſtites .... quibus vero in al- „ terutram partem deflectebatur cervix, ii ex ea parte ner- „ vorum reſolutione afficiebantur .... iſtæ vero nervorum „ reſolutiones non totum corpus perreptabant, ſed ad ma- „ nus usque pertingebant .... quibus vero Febris aderat, „ illis gravior fuit reſpirandi difficultas .... hi ſe erigere „ non poterant, ſed omnes quos novi mortui ſunt.

§. VIII.

Modum vero quo hæc paradoxa dimotio vertebrarum

fieri

fieri posset, probabilem reddere conatur Galenus, qui vel ex diuturno affluxu humoris serosi tendines musculorum colli expandentis, vel ob spasmum eorum ab impetu inflammatorio, hanc introversionem vertebrarum colli fieri posse concipit, morbumque quidem rarissimum esse asserit, nullibi tamen ubi de hac Anginæ specie commentatur, neque in libr. IV. de locis affectis, neque in mox laudatis Hippocratis locis, in quos commentatus est nempe, se vel semel hunc morbum deprehendisse dicit; cum tamen in Comment. Boerhaaviano Galenus ita loquens producatur. Nunc Anginæ speciem exponit (sc. Hippocrates) quæ rarò à nobis visa est, atque citatur locus ex Commentario 2. libr. II. Epidemicorum, qui est merum non ens, cum Galenus modo in librum I. III. & VI. Epidemicorum commentarios scripserit. In eodem Comment. Boerhaav. T. II. p. 704. observatio affertur de infante X. mensium, cui caput retro inclinatum erat, guttur prominulum & manifesta in cervice cavitas apparebat, qui nihil deglutire poterat, cuique post validas convulsiones hoc malum secutum fuerat. Sed an hæc historia morbi ad Hippocraticas confirmandas pertineat, non video, siquidem expressis verbis Hippocrates, hunc morbum in provectioris ætatis pueros sc. pubescentibus proximos, incidere narret; imò ipse Galenus tendines puerulorum nimis debiles esse & molles dicit, quàm ut huic morbo producendo idonei sint, neque de convulsionibus antegredientibus morbum sermo fit apud Hippocratem. Ut dicam quod ego sentio, morbum hunc accidisse non penitus negari potest, sed non fuit λόρδωσις, seu luxatio ad interiora, quomodo enim colli luxatio epidemica esse posset? ut jam de gravissimis symptomatibus

imò

imò cita ſubſequente morte, quæ modo ſublaxationem graviorem ſequitur, non dicam; ſed ut videtur ſpaſmus muſculorum cervicis, quo quædam vertebræ ad poſteriora valida adductione ad ſe inclinatæ anterius verſus Laryngem, illam ἐξόγκωσιν produxerunt, cumque tractio ab utroque latere æqualis eſſet, nulla notabilis debilitatio & preſſio nervis ex medulla ſpinali egredientibus inferri potuit, ſed cum in uno latere id fiebat, aliqua major compreſſio, leviores illas paralyſes attuliſſe credibile eſt. Quidquid ſit, ut morbus iſte inter cognitos & fieri ſolitos recipiatur, obſervationes indubias & claras, quibus determinetur, ulterius requirit. Tertiò, Subdola quædam datur Anginæ ſpecies, quæ ſæpe in miliari Febre in primis inſultibus morbi ægros adoritur, uti aliæ Anginæ, quæque aliquando ſatis gravis eſt, eam vero ad veram Anginam inflammatoriam haud pertinere ſatis patet, quoniam ſtadium ſuum non decurrit, ſed cito diſpellitur, vel & cito redit, & rurſus recedit; deinde quia in primo ſtadio Febris miliaris, quæ catharrhalis eſt, ſe oſtendit, uti docet Cl. Wagnerus *Act. Nat. Curioſ. Volum.* 7. *p.* 203. cumque inflammatorium ſtadium ea ingreditur, fere ſemper abeſt.

§. IX.

Ad hunc morbum diſponunt atque in diſpoſito corpore eum excitare ſolent, temperamenta ſanguinea, ruſſique notante Sydenhamo, quique Plethorâ aggravantur, maxime ex ſuppreſſione Hæmorrhoidum, aliarumque conſuetarum ſanguinearum evacuationum, aër vernalis ut & autumnalis præcedente conſtitutione auſtrina, isque frigidus æſtuante corpore admiſſus, peculiarisque ejus corruptio ſub epidemica conſtitutione nullis experimentis uti in aliis ſta-

tibus epidemicis, ſatis detecta, abuſus vini generoſi, interque cibos fungi culpantur, de quibus notum eſt, quod faucibus infeſtiores eſſe ſoleant, oratio longa in frigido loco habita, iter per loca æſtuoſa & ſicca, equitatio vento adverſo, ut & vociferatio, lotio frigida capitis intempeſtiva, uti & ejus nudatio, aliàs integumentis calidis tegi, aſſueti, contentio nimia ſub partu, Dyſenteria adſtringentibus intempeſtive ſuppreſſa, acria quæcunque faucibus admota, vapores muri recenter incruſtati, ſpinæ piſcium &c. in quantum quidem iſta corpus offendunt, in quo cauſa ad Febrem ſuſcitandam antecedens, latet, aliàs harum antecedentium cauſarum plurimæ, inflammatorium aliquod malum ſine Febre acuta concitare queunt.

§. X.

Cauſa proxima Anginæ inflammatoriæ veræ cum Febre acuta, vulgo in ſanguine Phlogiſtica denſitate laborante quæritur, qui in vaſis arterioſis partium affectarum impactus hæreat. At vero hujus cauſæ idea nimis generalis eſt, quoties enim ſanguinem cruſta inflammatoria denſum ſine ulla Febre acuta præſentem, ope V. S. educimus? cur vaſa capillaria à tenaci hujuſmodi ſanguine obſtructa, ad quæ rurſus dilatanda, & ſanguinem meabilem iterum reddendum, cor auctis viribus inſurgere dicitur, & ſic Febrem procreare, non in omni caſu unam eandemque Febrem movet? Eſt itaque in hujusmodi morbis Inflammatoriis cum Febre acuta junctis, omnino ad Febrem ipſam attendendum ratione cauſæ, quæ in corpore præſens & quaſi ad maturitatem ſuam perducta, vaſorum ſyſtema ad reactionem illam, quæ Febrim facit, inſtigare apta eſt. Ea vero reactio ſecundum leges animales procedit, neque ex doctrina Mecha-

Mechanica de vecte & viribus vivis explicari poteſt. Uti enim in hac ſupponitur vis premens & movens in genere, qualis vero ſit ignoratur; ſic in corpore humano vivo effectus preſſionum & motus localis mechanicè fiunt, ſc. major vis producit majorem effectum, major impulſus majorem celeritatem; ſed id quod premit atque movet, peculiares ſuas leges juxta quas animalia creata ſunt, ſequitur, quæ æque ſpeciales ſunt ac vires magneticæ vel electricæ. Cauſam igitur proximam inflammationis jam factæ, ſtaſin ſanguinis eſſe in vaſis arterioſis capillaribus ſanguineis vel ſeroſis, admittimus quidem, quæ ſedem ſibi in muſculis Pharyngis, Laryngis, uvulæ, linguæ &c. figit; ita tamen, ut ante omnia Febrilis ille motus, qui materiam inflammatoriam ad dictas ſedes deponit, ſit pro cauſa accipiendus. Id quod præter ea quæ ſupra dicta ſunt, ex eo probatur, dum, uti quidam Practici obſervarunt, aliquando fit, ut poſtquam Febris inflammationem præcedens, ſæva ſatis fuiſſet, ſequente dolore inflammatorio notabiliter ſe remiſerit, tanquam irritante cauſa extra ſanguinis conſortium expulſa, uti id in Exanthematicis Febribus obſervari vulgo ſolet.

§. XI.

Rationes ſymptomatum tam ex conſideratione impeditæ functionis partium affectarum & vicinarum, quàm ex impetu Febrili facile deducuntur, neque enim ſiccitatis, ſitis, doloris, impeditæ deglutitionis, metusque ſuffocationis, uti puto, cauſæ obſcuræ ſunt, uti quoque oculorum & vultûs intumeſcentia & rubor, torporque ſenſuum ex ſanguinis impeditiori regreſſu per jugulares venas, atque denegato ſufficienti ingreſſu aëris in pulmones, facile intelliguntur, adeo ut hiſce diutius immorari haud opus ſit.

XII.

§. XII.

Prognosin quod attinet, Angina omnis exquisita cum Febre acuta, morbum per se satis ancipitem constituit, quanquam enim partes affectæ, ad vitam continuandam haud proxime faciant, laborant tamen viæ, sine quibus apertis nec aëre nec cibo & potu debite refici potest æger. Anginæ ergo illæ gravissimæ sunt, & celeriter interimunt, quæ nihil conspicuum faciunt in faucibus neque collo, plurimum vero dolorem inferunt atque Orthopnœam, hæ enim eodem die quo incipiunt vel secundo, tertio aut quarto strangulant. Prognost. 3. Hæc etenim veræ Cynanches symptomata sunt, in qua inprimis musculi Thyreo-Arytenoidei laborant, qui proxime regioni Glottidis & ventriculis Laryngis exterius accumbunt, qui cum inflammatione tument, omnis tumoris extensio in angustum illum tractum agere debet, siquidem hi musculi intra Thyreoidis cartilaginis alas latent, quæ tumori nullum spatium concedere possunt. Quod si musculus albus Glottidis, uti post Dodartum, Glottidis marginatum ambitum vocat Boerhaavius, inflammatione afficeretur, seu chordulæ Ferreni potius (vid. Act. Acad. Reg. Paris. ann. 1742.) esset ibi maxima angustiarum causa. Ary-Arytenoidei obliqui & recti inflammati quoque insignem parient angustiam, sed eorum tumor retrorsum versus tunicam cellularem, quæ posteriori faciei Laryngis & anteriori Pharyngis est interposita, cedere potest. In Cynanche si dolor non manifestus redditur, funestam habet significationem; vel ut Foesius reddit, quæcunque conspicuum dolorem non produnt, periculi plena sunt. Coac. qui locus paulo esse videtur obscurior, sed egregie illustratur ex Aretæo edit. Lugd. Bat.

p. 5.

p. 5. his verbis: πόνοι καρτεροὶ, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῆς πνιγὸς συνδιωκόμενοι ἀμαυροῦνται. h. e. Dolores acerbi (ſc. ſunt) ſed ſtrangulatione vexati, eos obſcurius ſentiunt; hujusque Phœnomeni cauſa clare intelligitur, ex ſenſuum torpore quem impeditior ſanguinis recurſus tam à cerebro quàm per pulmones, ob venarum jugularium compreſſionem & viarum ad pulmones anguſtiam, affert. Unde quæ cauſa doloris acerbi in faucibus hæret, ea effectum ſuum haud exerit, ob nervorum compreſſionem à ſanguine reſtagnante, quæ ſenſus hebetat. Si in Angina cum Febre dolores capitis præter rationem oriuntur, periculoſum id eſt, Coac. docet enim, inflammationem ad caput imminere, quæ ibi deliria & convulſiones producet. Si autem inflammatio faucium ob morbi magnitudinem ad meliorem frugem redire haud potuit, longe minus in cerebri membranis id fiet, unde augmentum gravium ſymptomatum & periculum magnum. Idem cæteris paribus verum eſt, de Metaſtaſi materiæ inflammatoriæ ad Thoracem, ſecundum effatum Hippocraticum. Quibus ex Angina in pulmonem mali fit converſio, intra ſeptimum diem moriuntur, ſi vero hos effugiant ἔμπυοι, h. e. purulenti evadunt. Sect. V. Aphor. 10. Præter rationem vero (ἀσήμως) aliquid in morbis contingere dicitur, cum ſymptomata per morborum decurſum obvenientia, non fiunt ob motus criticos, qui antegreſſam morbi coctionem & emeliorationem ſupponunt, & quanquam moleſti ſint, tamen in bonum finem excitantur, ſi vero nulla concoctio præceſſerit, hujusmodi ſymptomata, ex. gr. mox dictus dolor capitis, præter rationem, h. e. inutiliter & noxie ſupervenire dicitur. Mortem haud procul abeſſe docent ſpuma ante os, lingua valde tumida, purpurea, nigreſcens,

anxietas summa præcordiorum & angustia, extremorum frigus, pulsusque durus convulsivus & intermittens. Eadem metuenda sunt, si dolor præter evidentem rationem evanescat. Coac. Hæc enim omnia vel citam strangulationem vel Gangrænam præsagiunt. Omnis quoque symptomatica Angina mali admodum ominis est, quæ variolis, morbillis, vel Dysenteriæ suppressæ per ineptam medelam, superaccedit. E contrario bonum eventum prænunciant, si tumor & rubor ad pectus superveniat; foras enim vertitur morbus. Aphor. 49. Sect. VII. In genere quo à Laryngis propriis & Pharyngis mediâ sede, remotiores musculi afficiuntur, quo Febris moderatior, & functiones non magno in gradu impeditæ, eo benignius præsagium. Cum vero signorum pravorum & bonorum medius aliquis status est, neque proxima pernicies adstat, neque morbus discutitur, tunc fiunt suppurationes, quæ si in superiori Isthmi faucium loco sunt, neque admodum magni fuerunt tumores inflammatorii, sine periculo, rupto abscessu, hominem liberant. Si vero in imis faucium sedibus hærent, inflammatio fuit magna, vel ex viarum angustatione, vel ex magna copia puris asperam arteriam inundantis, cum rumpitur abscessus, periculo non destituuntur.

§. XIII.

Curatio hujus morbi, pro diversitate partium affectarum, pro impetus febrilis ratione, vehementiæque symptomatum, ita adornanda erit, ut quantocyus, pristinæ fluiditati restituatur materia vasis impacta, atque sic suppuratio, Gangræna, vel & Scirrhus, quæ aut lethiferum aut dubium, aut in longum tempus protrahendum, molestumque eventum habent, præcaveantur, aut ita tractentur, ut nulla

nulla insignis læsio in his organis relinquatur. Primò igitur Indicationes curatoriæ, quæ causam proximam inflammationis & Febris respiciunt, ante omnia exposcunt, ut impetus inflammatorius ad partem affectam imminuatur, stasis ipsa sanguinis discutiatur, & Febris ad quandam mediocritatem redigatur. Secundò, ut symptomatibus illis gravissimis, quæ aëris & alimentorum vias obstruendo, ægrum in summum periculum conjiciunt, occurratur.

§. XIV.

Si ergo signa docent musculos Laryngis proprios præ aliis inflammatione laborare (de asperæ enim arteriæ sola inflammatione ambiguitates quasdam superesse supra dictum est) tunc ante omnia largissime sanguis detrahendus est, qui quidem communiter ex brachio, nec male educi solet; sed tamen cum observationes doceant, eum ex brachio extractum copiose, applicatis & exhibitis quoque aptis remediis, nihilominus progressum mali haud potuisse impedire, hinc recte cum Alexandro Tralliano, qui primus hujus auxilii mentionem facit, σφαγίτιδας, h. e. jugulares venas externas incidendas esse suaserim, inprimis cum eam post Trallianum haud pauci Medici cum summo successu institutam esse ostendant, quorum testimonia colligere superfluum esset, neque crediderim quenquam lecto Trallesii tractatu de vena jugulari frequentius secanda, necessitatem & utilitatem hujus V. S. in dubium vocaturum, aut eam periculosam esse asserere ausurum. Est vero illa ad imminens usque animi deliquium procuranda, id quod adstans Medicus ex pulsu vacillare incipiente, haud ægre deprehendere poterit.

§. XV.

Quo facto eodem die ad revellentia, deorsum evacuan-

tia medicamina eſt properandum, nec enim tempus aliquod prætermittendum, quo morbi ferocia frangi poſſit. Sic profecto Trallianus jubet, ut purgatio alvina non in craſtinum diem differatur: „ Memini, inquit, me neceſſitate „ urgente, cum mane venam ſecaſſem, poſt meridiem ranınas aperuiſſe, veſperi vero cum ſucco Ptiſanæ Diagry- „ dium propinaſſe, & ſic ægre conſecutus ſum, ut ſtran- „ gulationem ex inflammatione ſolverem. " Hæc vero locum habent, cum æger in ætatis flore eſt, & tam vehementer ſævit malum, ut nullam patiatur procraſtinationem. Purgantia vero acriora, uti Elaterium, Scammoneum, & Tithymali recens ſuccus, qualibus veteres Medici, deſtituti moderatioribus, quæ recentioribus temporibus inventa ſunt, utebantur, adhibere neque neceſſarium neque tutum eſt. Confugiemus ergo potius ad mitiora Antiphlogiſtica purgantia, uti ſunt, Manna cum Nitro, Tamar-Indis & Sero lactis. Neque video quomodo Boerhaavius (in Comment. Cl. van Swieten p. 675.) rejectis acrioribus veterum purgantibus Elaterio & Tithymali ſucco, tutioremque uſum talium commendans, quæ ſine aucto motu valide tamen evacuant, Scammonei XVIII. grana cum unc. & dimidia Syrupi de Senna, commendare poſſit. Non ignoro equidem, ipſum exiſtimare Scammoneum cum magnam copiam ſeri educat, ſanguinem in ſerum reſolvere, globulos rubros in minores ſeroſos dividendo; ſed an Euphorbium forma Errhini naſo attractum, & ſerum inſtar rivulorum ex naribus & oculis eliciens, ideo ob reſolutionem Sphærularum ſanguinearum in ſeroſas, id efficit? an potius inſigniter vaſa excretoria ſtimulando hæc agunt? ibique magis conveniunt, ubi irritatio major & abundantis humidi eductio requiritur? at vero in morbis inflammatoriis humidi diluentis

potius

potius defectus, quam abundantia est. Longe certe ea purgantia Antiphlogistica præferrem, quæ in capite de inflammatione in universum ab eo indicantur, uti sunt Rheum cum Sale polychresto, Chrystalli Tartari, Agaricus cum Nitro, Tamar-Indis & foliis Sennæ &c. Hisce vero Medicamentis, quædam Diarrhœa artificialis excitatur, quorum usui remedia resolventia & refrigerantia interponenda sunt. Præterea usum sectionis raninarum, quam commendat Sydenhamus, & ante ipsum plures alii, quanquam quidam non semper satis eam tutam esse, notaverint, non rejicerem, neque admotionem hirudinum, vel scarificationem Menti. Sed videtur tamen, quòd si non adeo vulgo Jugularium sectio negligeretur, vel potius metueretur, non tanto apparatu illarum particularium sanguinis detractionum, nos opus habituros.

§. XVI.

Ad Febrem moderandam & promovendam resolutionem, medicamenta nitrosa subacida saponacea, ex Oxymelle, Syrup. Granat. acidor. dulc. Nitro, lap. 69. Aceto solutis copiose sunt propinanda; in Laryngis enim inflammatione, deglutitio satis adhucdum procedit. Cumque Angina epidemica, maligna est, aut variolis & morbillis se adjungit, Emulsio tunc camphorata Celeberr. Werlhofii, locum habet, ex seminibus Melonum cum aquæ libr. 1. tritis, Nitri drachm. II. Camphoræ drachm. I. vel mitius ex Sem. Melon. & Card. Mar. ana. unc. ß. Camphoræ scrup. 2. decocti Hordei vel aquæ font. aut cujusdam destillatæ libr. I. addendo Antim. Diaphor. & Nitri ana. drach. I. Saccharoque adjecto ad gratiam. vid. Commerc. Phys. Med. Norib. ann. 1734. p. 258. 268. & 269. Camphoræ vero usum in morbis acutis aliunde probatum esse suppono, neque hîc

 hisce

hisce immorari licet. Gargarifmata quæ in Angina curanda adeo laudantur, in hoc cafu locum ipfum affectum multum juvare nequeunt; danda funt potius lenia collutoria oris, ad ficcitatem ejus, ut & Ifthmi faucium tollendam: uti funt decoctum Glycirrhizæ cum mucilagine feminis Cydoniorum, adjecto Nitro, &c. inprimis vero vapor aceti cum magna copia aquæ diluti, ne tuffim moveat, ad Laryngem ipfum fe penetrabit, vimque fuam tam repellentem leniter & refolventem, quam & ardori oppofitam exercebit. Externe in hoc cafu Cœlius Aurelianus optime commendat, lanam tepido oleo madidam, toti collo ad aures usque imponendam, ut partes externæ relaxentur, & dolentes demulceantur.

§. XVII.

Si vero Laryngis inflammatio immaniter increfcat, ita ut metus ftrangulationis maximus fit, non diu eft cunctandum, fed antequam vel Gangræna vel fuffocatio fiat, ad ipfam Bronchotomen, perperam vulgo dictam Laryngotomiam, eft accedendum. Quæ quali ratione adminiftranda fit vid. in Heifteri Chirurg. neque audiendus eft Cœlius Aurelianus, qui eam ut periculofam rejicit, atque tuffim fuffocantem eam fequi dicit. Hoc enim fymptoma tum demum oritur, fi fanguis ex vulnere in afperam arteriam illabatur, vel tubus immiffus oppofitum parietem afperæ arteriæ attingat, eamque irritet. Notari hîc meretur mirabile fenfationis genus afperæ arteriæ, quæ cultro fecta nullam excitat tuffim, dum aquæ guttula vel fanguinis in eam incidens, eam acerrimam movet. Cum jam debita Encheirefi aër afperam arteriam, per cannulam ei infertam ingreditur & egreditur, interea caufæ inflammationis & fummæ illius anguftationis diffipari poffunt. Quod factum effe cognofcitur, fi digito obturata cannula, æger aërem per os attrahere & in pulmones demit-

demittere queat. Poſtea vulnus remota cannula aëri veha percurandum eſt; in cujus ſanatione hanc cautelam obſervandam eſſe præcipit Boerhaavius. *Commentar. dicto p.* 691. ne vel annuli aſperæ arteriæ vel interſtitium membranaceum annulorum, ſi hoc ſolum diſſectum fuit, una cum ipſa cute colli, ſutura adſtringantur. Sic enim fieri poſſe notat, ut aëre per rimulam aſperæ arteriæ non ſatis clauſam, ſub cute in ejus cellularem tunicam irrepente, & per vicinam cutem ſe diffundente Emphyſema naſcatur; additque ſe non meminiſſe eos, qui de Bronchotome ſcripſerunt, Emphyſematis poſt hanc operationem Chirurgicam ſecuti, mentionem feciſſe. Hoc utcunque ſe habeat, non poſſum, quin hîc notem celebri illi Argentoratenſium Chirurgo Domino Le Maire, Emphyſema ab hac cauſa factum haud ignotum fuiſſe, quod rara quædam obſervatio, quæ in ejus Mſto. de operationibus Chirurgicis legitur, probat: monet nempe ibi, vulnus tracheæ arteriæ prius claudendum, deinde vulnus cutis ſanandum eſſe, diſtinendo interim labia vulneris cutanei, cum linteis carptis; ſi enim aliter procederetur, & cutis vulnus & aſperæ arteriæ, una ſutura conſtrictum, ſimul ad ſanationem quis perducere conaretur, tunc quoniam cutis citius ſaneſcit & occluditur, quam aſpera arteria, aër facile in cutem ſe ſubducere poſſet, & dictum morbum producere, inque hanc rem ſequentem hiſtoriam affert. Miles vulnus in aſpera arteria gladio accepit punctim, parva facta apertura, Chirurgus quidam vocatus, cutem acu conſuit; at vero aër per vulnus aſperæ arteriæ in cellulas cutis ingrediens, tam vehementer eam totam diſtendit, ut poſt 6. menſium ſpatium, inſtar tabidi emaciatus, fatis cederet. aperto cadavere, ubique ſub cute purulenta materia inveniebatur, quæ ab infinitis parvulis abſceſſibus colligebatur, à compreſſione & dilaceratione vaſculorum cutaneorum originem trahentibus.

§. XVIII.

§. XVIII.

Cum vero Pharynx inflammatur, ipſa deglutitio variis gradibus impeditur, vel & impoſſibilis redditur; pro inflammationis magnitudine & ſedis affectæ diverſitate. Si enim ejus ſuperior pars circa linguæ radicem laborat, uti ſunt Pharyngo-Gloſſo-Staphylini Valſalvæ, Genio, Mylo, Cephalo-Gloſſo-Pharyngei, vel inferior pars, in qua ſunt Hyo-Thyreo, Crico-Pharyngei, afficitur, curatio non differt, ratione indicationum generalium. Sed quoniam Febris utplurimum mitior eſt, & reſpiratio non magnopere intercepta, hinc V. S. & purgantium moderatior uſus eſſe debet, tanto magis autem Gargariſmatibus hic locus eſt, atque Clyſteribus; illa jam ab antiquis temporibus, pro ratione initii vel incrementi ipſius morbi, vel repellentia magis vel reſolventia parabantur; hinc recte monet Cl. Junckerus *in conſpectu Medic. Theor. Pract.* duas Species Gargariſmatum ſimul in promptu habendas eſſe, unam ex adſtringentibus, alteram ex reſolventibus, ut ab initio adſtringens adhibeatur, procedente vero morbo, adſtringens cum reſolvente miſceatur, donec reſolvens potiores habeat partes, vel & ſolum uſu veniat. Prior ſpecies ipſo ſuadente ex Rad. Biſtortæ, Tormentill. Herba Brunellæ, Pyrolæ, Gallis, & ſi fortius adſtringere opus eſt, quadam parte aluminis conſtare poteſt, cui Roob Dianucum, à Galeno inventum, & ab eo tantopere laudatum, adderem. Poſterior vero, ex Rad. Irid. Florent. Helenii, Caryophyllatæ, Altheæ, Herbis Salv. Bellid. min. Hyſſopi, Florib. Chamæmeli, Caricis Puing. Roob Diamoron, Albo Græco & Nitro Chryſtall. conficienda. Suntque hæc Gargariſmata haud magno impetu ex Syphone injicienda, quia ſic locus inflammatus vehementius tenſus & compreſſus, moleſtias augere neceſſario debet, ſed lenius hæc admovenda, neque penitus ſupino capite, ſed ad anteriora leniter reclinato, ne aliquid in aſperam arteriam delabatur. Inter externa collo imponenda, maximopere laudatur Emplaſtrum de Meliloto cum Diachylo ſimplici mixtum, cui & Camphoræ aliquid adjici poteſt. Vel & Cataplaſmata emollientia, ad materiam extrorſum evocandam, uſui ſunt, quæ tunc inprimis neceſſaria ſunt, cum muſculi oſſis Hyoidis, vel communes Laryngis, Hyo-Sterno-Thyreoidei, inflammantur.

§. XIX.

Si vitium in Velo Pendulo Palatino, Tonſillisque inhæreſcit, mitior neque periculoſus morbus, vix tantam Febrem junctam habet, quæ acutæ nomen mereatur, cœteris tamen paribus haud abſimilia remedia admittit. Recuſante tandem morbo omnem ſpem reſolutionis inque ſuppurationem abeunte, emollientibus remediis ea eſt acceleranda; decocta ergo talia ore continenda, & exterius forma cataplaſmatis toti collo ſunt circumdanda, donec vel ſponte rumpatur, vel ſi ad locum abſceſſus perveniri poſſit, inſtrumentis Chirurgicis artifici manu aperiatur, ulcusque aquoſis & mellitis mundetur; de qua re ut & de exitu in Scirrhum plura afferre ſuperſedeo. Victus in genere ſit vehementiæ Febris accommodatus, & ſicubi deglutitio impoſſibilis, Clyſteres ex aqua & lacte aliquoties per diem injecti, vel ex juſculis carnium, ſi Febris non nimis acuta ſit, neceſſarii ſunt. At paginarum anguſtia me hic ſubſiſtere cogit.

FINIS.